

8620



Rep. XXXIII. 4. no. 98.

69

GEORGII ADAMI STRUVII,
D. J. U. Prof. Publ.
EXERCITATIONEM FEUDALEM
DECIMAM SEXTAM

De
JUDICIO FEU-
DALI,

Sub
Ejusdem Præsidio
Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-
dam ex Jure Criminali *Indiquata*
annectit

CHRISTIANUS *Rifling*/
Zittaviâ-Lufatus.

Ad d. Decembris, Anno
M, DC, LVII,
H. L. Q. C.



JENÆ
è Typographéo JOHANNIS NISII.

GEORGIUM ADAM STRUVE
EXERCITATIONEM RENDALEM
DECIMAM SEXTAM

JUDICIO FELI

DALL

Sub

Einigen

lecturae tribuere... & que
dant ex... & que

CHRISTIANUS

1744

M.DCC.LIV

L. G. C.



JENÆ

1744



I. N. 7.



Hesibus nostris Criminalibus coronidem impositurus, quædam de jure Aggratiandi in medium proferre, ut & præscriptionem delictorum paucis attingere meæ sunt partes.

I.

Est autem Jus Aggratiandi indulgentia quædam vel remissio pœnæ, reo ex gratiâ à Principe summo attributa.

II.

Considerandi hîc veniunt (1.) illi, qui remittunt, & (2.) quibus remittitur pœna.

III.

Remittere potest, qui potestatem summam de morte, exilio & bonorum publicatione statuendi habet. *Aristoteles 4. Polit. 14.* nim. in nostrâ Republicâ (1.) Imperator (2.) Electores & Principes, aliique statûs Imperii. Nam Jus veniam pœnæ & gratiam concedendi delinquentibus Principi s. jura superioritatis habenti reservata est *l. 7. C. de precib. Imper. offerend.*

IV.

Competit igitur hoc jus etiam Civitatibus liberis Imperialibus (denen Keyserlichen freyen Reichs Städtten) superiorem præter Cæsarem vel Imperatorem Romanum non recognoscentibus, quia & ipsæ tan-

A 2

tum

tum in suâ Republicâ possunt, quantum Imperator in Imperio.

V.

Non tamen status Imperii debent hoc jure Aggrandi abuti, gratiamque concedere tali delicto, quod Lex divina omniumque gentium ratio gravissimè statuit puniendum.

VI.

Remittitur pœna iis, qui deliquere, & quibus gratia delicti concedi potest.

VII.

Quosdã ipsa quidẽ ætas excusat, nim. Infantes, qui doli capaces non sunt, sed quicquid agunt, ignorant, *l. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. sine dolo namq; delictum committi non potest, ergò nec puniri. Vel aliquod vitium naturale, ut Furiosos, qui ex delicto suo nec obligantur, nec pœnã aliqua tenentur l. 9. §. 2. ff. ad L. Pompej. quia furiosus animum & voluntatem delinquendi non habet, non intelligit enim quid agit §. 8. Instit. de inutilib. stipul. Ut & Noctambulos, quia enim tales furiosis, imò mortuis & absentibus comparantur, puniri non possunt, propterea, quod dormientes deliquerint. Add. Paul. Zacch. quest. medico leg. l. 2. t. s. 9. 12. n. 10.*

IX.

Gratiã verò Principis ut remittantur pœnæ delinquenti, qui sciens & volens delictum admisit, requiritur. ut ista pœna jure divino nominatim non sit expressa, nec ad autoritatem Decalogi tuendam sancita. Dn. Carpzov. P. 3. q. 15. n. 29. & seqq. Anton. Matth. de crimin. L. 48. tit. 18. n. ult. p. 897.

IX. Cef.

IX.

Cessat igitur Jus aggratiandi regulariter in talibus delictis, ut sunt (1.) Blasphemia in Deum commissa, (2.) Sortilegium, (3.) Homicidium deliberatum, (4.) Adulterium, (5.) Bigamia, (6.) Incestus, (7.) Sodomia, (8.) Parricidium, (9.) Latrocinium, (10.) Rapina, incendium aliaque ejus generis delicta. In his enim delictis Princeps vel qui aliàs hoc jure Aggratiandi hodiè gaudet, quasi de alieno benignus esse nequaquam potest, eamque remittere pœnam, quæ à Deo cujus judicia exercet, statuta, vel quæ ex uniformi gentium consensu imposita reperitur. *Limnæus de jur. publ. l. 4. c. 8. n. 279. & 283.*

X.

Ea vero delicta, in quibus Jus aggratiandi facilè locum habet, sunt (1.) Crimen Maledicentiæ, (2.) Furtum, (3.) Venatio Ferarum & alia.

XI.

Porro II. requiritur, ut justa aliqua ratio moveat ad clementiam Principem: & singulares planè circumstantiæ & causæ exiguntur, quando contra regulam in th. 8. traditam venia pœnæ conceditur.

XII.

Quæritur autem (1.) an spontè confitenti possit pœna remitti? Quod *Neg. arg. l. 5. ff. de custod. reorum. l. 1. §. si quis ultrò. ff. de question. l. 10. C. de pœn. vid. Anton. Matthæum lib. 48. tit. 18. c. 5. n. 3.* sed quid si reo impunitas promissa, si delictum spontè fassus fuerit? distinguimus inter Principem promittentem & Magistratum inferiorem: in hujus potestate non esse dicunt gratiam ita delicti facere. Vid. *Finckelthaus. obs. 105.* Illum verò promissis rectè stare, Vid. *Carpzov. d. p. 3. q. 149. n. 1. &*

seqq. quod tamen intelligendum erit de delictis, in quibus gratia Principis potest esse locus.

XIII.

Quæritur porro (2.) an seriò poenitenti poena remittenda vel lenienda? Bene tradit Aristot. *3. Eth. 1. 2.* poenitentiam excusare in iis duntaxat delictis, quæ quis non tantùm ignorans, sed & per ignorantiam admisit, non admissurus prorsus, si actionis suæ circumstantias scivisset. Add. *l. 65. de furt. l. pen. de vi bon. raptor. l. 3. C. de apostat.* Vid. Anton. Matth. *d. l. n. 4.* Hug. Grot. *de J. b. & p. l. 2. c. 20. n. 11. 12.* Si tamen reus, antequam fuerit accusatus, poenitentia ductus fuerit, poena quodammodo mitigari solet. Vid. Dn. Carpzov. *p. 1. q. 49. n. 72. & seqq.*

XIV.

Controvertitur quoque (3.) an mitiganda poena ob insigne, quod delinquens callet, artificium? Quod communiter affirm. *arg. l. ad bestias. 31. de poen.* A quâ sententiâ meritò recedit Ant. Matth. *d. l. n. 7.*

XV.

Agitatur & hæc quæstio: an ad intercessionem puellæ, vel etiam viri, condemnatum, condemnatamve in matrimonium petentis, venia sit tribuenda? concurrentibus quibusdam circumstantiis id Dd. admittunt. Vid. Dn. Pingitzer *p. m. quæst. 8. n. 4.* Dn. Carpzov. *p. 3. q. 150. n. 58.* Atque hinc cum cæcus peteret, ut conjugio sibi jungeretur puella infanticidii rea, illi, causis aliis concurrentibus, poenam mortis à Principe rectè remitti posse, nuper Nobiliss. Facult. Juridic. pronunciassè, à Nobilissimo Dn. Præside percepi.

XVI. ul-

XVI.

Ulterius (5.) quaeritur: an si plurimi simul deliquerint, per decumationem seu sortem quidam poenae subjici, quidam verò illi eximi rectè possint? Quà de re Tullius in eà oratione pro Cluentio, quæ à Tryphonino in l. Cicero. 39. de poen. citatur, scribit: *Statuerunt majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, poena autem ad paucos perveniret.* Et Seneca lib. 2. de irâ: *In singulos severitas Imperatoris distinguitur.* At necessaria venia est, ubi totus deservit exercitus. Vid. Tiraquell. de poen. temper. aut rem, c. 47.

XVII.

Cæterum pertinent hæc, quæ diximus, ad ultimi præcipuè supplicii remissionem, quæ fit ex gratiâ, atque ex jure superioritatis: mitigatio enim aliqua vel etiam transmutatio poenæ, v.g. relegationis in pecuniariam, ex justâ causâ etiâ à quolibet, qui merum imperium habet, fieri potest. Vid. Dn. Carpzov. *prax. crimin. P. ult. q. 150.*

XIIX.

Tandem notandum, quod etiam præscriptione tollantur crimina, eorumq; poenæ:
si vi-

si vicenniū (*regulariter*) post commissū delictū præterlapsū, nec quis accusatus s. contra eū processus inquisitionis institutus fuerit. Sicut enim in civilibus causis præscriptio necessaria visa est, ut esset litium aliquis finis, nec semper incerti ciues de dominio rerum suarum: ita eadem necessaria visa est in causis criminalibus, ut accusatorum aliquis finis esset, nec semper incertâ spe atque expectatione penderent, quicumque criminis alicujus insimulantur. Vid. Dn. Carpzov.

d. p. ult. q. 141. Ant. Matth. d. l. 48. tit.

19. c. 4.

F I N I S.



XIIX

